

sedulo inquirent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet moderatores ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi a locorum antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant. Ordinarii enim, vi pastoralis officii, oves suas præ cæteris agnoscere possunt, et sæpe sæpius ea manifestare impedimenta quæ alios latent. Hæc animadvertens Sanctiss. D. N. Pius PP. IX, audito voto S. R. E. cardinalium hujus S. Congregationis super statu regularium, attentisque postulationibus nonnullorum episcoporum, præsentis decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, hæc quæ sequuntur apostolica auctoritate statuit atque decernit.

» I. In quocumque ordine, congregatione, societate, instituto, monasterio, domo, sive in iis emittantur vota solemnia sive simplicia, et licet agatur de ordinibus, congregationibus, societatibus, institutis, monasteriis, ac domibus, quæ ex peculiari privilegio etiam in corpore juris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum ordinarii originis, tum etiam ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum ætatis suæ ultra annum moratus fuerit.

» II. Ordinarii, in præfatis litteris testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius. Et sciant ordinarii eorum conscientiam super veritatem expositorum oneratam remanere; nec ipsis unquam liberum esse hujusmodi testimoniales litteras denegare; in eisdem tamen super præmissis singulis articulis ea tantum testari debere quæ ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino judicaverint.

» III. Omnibus et singulis superioribus regularium aliisque religiosis ad quos spectat, cujuscumque gradus sint et instituti, licet exempti et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctæ obedientiæ, hujus decreti observantia strictè præcipitur; et qui contra hujus decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit poenam privationis omnium officiorum vocisque activæ et perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua non nisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

» IV. Vi cujuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis ordo, institutum, superior,

religiosus consequeretur, nunquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominalim derogetur, licet in concessione derogatoriæ generales clausulæ quantumvis amplæ apponantur. Quod si alicui instituto expresse et nominalim dispensatio super eodem decreto ali quando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cujuscumque privilegii ex titulo communicationis privilegiorum.

» V. Quolibet anno, die prima januarii, in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii ac vocis activæ et passivæ a superioribus ipso facto incurrenda.

» Ne autem hujus decreti observantia aliqua ratione, titulo, prætextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis et statutis cujusvis ordinis, congregationis, societatis, instituti, monasterii, domus, etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, necnon cuilibet privilegio, licet in corpore juris clauso, et apostolicis constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat et derogatum esse declarat.

» Datum Romæ ex S. C. super statu regularium, die 25 januarii 1848. Ant. can. BIZZARRI, a secretis.

Sequuntur: « Declarationes super decreto Romani Pontificis ubique locorum servando.

« 1. An sufficient testimoniales datæ ab ordinariis per litteras privatas? Resp. affirmative.

« 2. Utrum sufficient testimoniales, in quibus ordinarii non testantur in specie de iis omnibus quæ in decreto Romani Pontificis præscribuntur, sed duntaxat in genere referunt de qualitatibus postulantis? — Affirmative, sed a superioribus regularibus serventur alia de jure servanda ad singulas qualitates postulantium cognoscendas.

« 3. Quid agendum, si ordinarii respondeant se postulantes non agnoscere? Resp. Posse postulantes admitti ad habitum et novitiatum, si ordinarius a superiore requisitus expresse respondeat sese circa qualitates postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de jure servanda; et postulantes, antequam ad habitum admittantur, maneant saltem per tres menses in conventu, ibique diligenter probentur.

« 4. Utrum superiores admittere possint ad habitum sui ordinis postulantes absque litteris testimonialibus ordinarii, quando hic affirmat non posse eas dare quia prohibetur ab auctoritate civili? Resp. Sufficere testimonium ordinarii datum etiam per privatas et secretas epistolas; sed si ordinarius a superiore requisitus testimoniales ob appositam superius causam quovis modo dare renuat, posse postulantes admitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem.

» 5. Utrum superiores possint ad habitum ipsum admittere milites de quibus ordinarii affirmant se non posse in Gaitia intormare, cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec parochi ullam de his notitiam habere possint? Resp. affirmative, si ordinarius a superiore requisitus respondeat se informare ob dictam rationem non posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de jure servanda; et insuper postulantes, antequam admittantur ad habitum, saltem per tres menses maneant in conventu ibique diligenter probentur.

» 6. Quid agendum sit quando ordinarii nolunt dare litteras testimoniales non aliam ob causam nisi quia opponuntur ingressui postulantis in religionem? Resp. Ordinarios, prout in art. II decreti Romani Pontificis præscribitur, non posse testimoniales litteras denegare; si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad S. Congregationem super statu regularium.

» 7. In his ordinibus, in quibus præter conversos laicos habentur donati seu oblati, testimoniales exigendæ sint ante susceptionem habitus donatorum et oblatorum vel potius conversorum? Resp. Ante susceptionem habitus donatorum et oblatorum.

» 8. An sit nulla susceptio habitus sine litteris testimonialibus? Resp. Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam: testimoniales litteras omissas in receptione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias novitii ad professionem licite admitti minime poterunt.

» 9. Utrum sit invalida professio si fiat omissis testimonialibus litteris? Resp. Non esse invalidam sed illicitam.

» Datum Romæ ex S. C. super statu regularium die 1 maii 1851. — A. BIZZARRI, protonot. apost. a secretis.

Vide alias declarationes super eodem decreto Romani Pontificis, in Collect. in usum Secretariæ S. C. pag. 900 et sequentibus.

Die etiam 25 januarii 1848 prodiit aliud decretum de receptione novitiorum ad habitum et professionem, pro Italia et insulis adjacentibus, quod incipit Regulari disciplinæ; et die 1 maii 1851, emanaverunt quædam declarationes super illo. Quæ acta leges sive in Collect. in usum Secretariæ S. C. sive in ephemeride, Correspondance de Rome, annis 1848 et 1851. Notandum quod sub nomine Italiæ venit Sabaudia, hodie territorio imperii Galliarum annexa, uti videre est in declarationibus prædictis.

## ADNOTATIO IV.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXI. § III, n. 102; pag. 26.

DE MODO COMPUTANDI ANNUM INTEGRUM PROBATIONIS ANTE PROFESSIONEM RELIGIOSAM.

« In anno bissextili, inquit Giralduus, ad inte-

gritatem anni computanda est etiam illa dies quæ superest, ut declaravit Congreg. conc. in Palavisia, 5 julii 1617 et in Andegaven., 21 aug. 1623. Cumque talis annus debeat esse completus de momento in momentum, ex decreto ejusd. Congr. 1 februarii 1631, nulla esset professio emissa ante complementum anni, etiamsi deesset modicum tempus, puta duæ horæ, ut declaravit dicta Congr. 21 januarii 1617. Adeatur Lucius Ferraris, Prompta bibliotheca, 1<sup>o</sup> Annus probationis. Fagnanus, in cap. 8 Ad nostram, De Regular., n. 24, refert, ex declaratione laudatæ Congr. sub die 6 nov. 1592, idem servandum esse in promovendis ad ordines sacros. » (Expositio juris pontificii juxta recentiorum Ecclesiæ disciplinam, parte I, sect. 522.)

## ADNOTATIO V.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXI, § III, n. 108, pag. 27.

DE PROFESSIONE FACTA ANTE COMPLETUM NOVITIATUS ANNUM.

« Nota professionem emissam a mulieribus, quæ poenitentes seu convertitæ appellantur, etiam ante annum novitiatum expletum, validam esse ex privilegio eis concessio a Julio III et Pio IV, ut declaravit S. C. C. in Neapolitana, anno 1619, Decretor. lib. XII. p. 30. Hæque tenentur ad clausuram et emissionem trium votorum, juxta earum constitutiones et juris communis dispositionem ex decreto S. Pii V, Gregorii XIII, de quo meminit Fagnanus in decretali Ad apostolicam hoc tit. n. 31, et declaravit etiam laudata Congr. in Mediolan., lib. II Decretor., pag. 196 a tergo. » (Giralduus, Exposit. jur. pontif., part. I, sect. 530.)

## ADNOTATIO VI

Lib. III. Decretal. Tit. XXXI, § V, n. 156; pag. 39.

DE TEMPORE QUO RELIGIOSI SUARUM RERUM DOMINIUM A SE ABDICARE POSSUNT ANTE PROFESSIONEM SOLEMNEM.

DECRETUM. Lata lege de præmittendis votis simplicibus professioni votorum solemnium per encyclicam epistolam hujus S. C. super statu regularium die 19 martii 1857, nonnullæ deinde editæ fuerunt declarationes quoad ipsa vota simplicia, et relate ad votum simplex paupertatis constitutum fuit: « Professio votorum simplicium dominium radicale, uti aiunt, suorum honorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum sim-

plicium professione permanserint, administrationem et usumfructum. et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint. »

Nuper vero dubium et exortum est quandonam professi votorum simplicium emittere possint renuntiationem, de qua sacros. conc. Trid. sess. XXV, *De regularibus*. cap. xvi. egit, quaque ipsi suarum rerum dominium a se abdicent. Dudum ad Sanctiss. D. N. Pium PP. IX relato ab infra scripto secretario S. C. super statu regularium, in audientia habita 1 aug. 1862, Sanctitas Sua apostolica auctoritate statuit atque constituit renuntiationem quam in citato cap. xvi, sess. XXV, *De regularibus*. concil. Tridentinum rescicit, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ eodem die et anno, ex secretaria S. C. super statu regularium. — A. BIZZARRI, arch. Philippen. secretarius. (*Collect. in usum S. C. episc. et regul.* pag. 915.)

Animadvertendum quod dictum Tridentinum cap. xvi. sess. XXV, *De regularibus* comprehendat etiam renuntiationem beneficii factam contra formam ab eo præscriptam. Quæ tamen, etiam iuxta eam facta, effectum non sortitur, nisi post professionem, ita ut ante nemini conferri possit, prout declaravit S. Congr. conc. teste Fagnano in cap. 23, *Statuimus, de Regular.* n. 19. Ita Giralduus, *Exposit. jur. pontif.*, part. II. sect. 171. Porro hic agitur de professione votorum solemnium. Cf. Adnotationem XL vol. primi, pag. 614.

## ADNOTATIO VII.

*Lib. III, Decretal. Tit. XXXI, § VI, n. 180; pag. 44.*

## DE SIMULATA ET TACITA PROFESSIONE.

Adeatur Giralduus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 318, ubi exponitur votum ab ipso Giraldo exaratum in quadam causa simulatæ professionis, super sequenti dubio: an detur locus restitutionis in integrum adversus professionem emissam ab N. ordinis N.? Sic concludit idem auctor: « Inspecta constanti et perenni aversione a statu religioso, tam ante quam post professionem, imo in ipsomet illius actu confirmata, crederem, ex benignitate et arbitrio Summi Pontificis, tuto dari posse locum dispensationi, si non a votis, a statu saltem claustrali, cum facultate redeundi ad primæva jura quoad paternam hæreditatem, in causam saltem alimentorum, potissimum cum in concursu tot contrariarum protestationum allata argumenta excludentia nullitatem professionis non sint tanti ponderis ut removere possint eundem Pontificem ab hujusmodi dispositione et quidem non primum, etc. »

Quoad professionem tacitam, sic se habet Giralduus, *ibid.* part. I, sect. 522. « Ut dicatur quis tacite professus, requiritur ut post annum novitatus perstiterit in religione per annum deferendo habitum religiosum. Si vero ingressus fuerit religionem quæ habeat habitum distinctum pro professis et diversum ab eo quo utuntur novitii, ad hoc ut dicatur tacite professus sufficit ut, post expletum novitatum, perstiterit in religione, deferendo per triduum habitum professorum, per textus in cap. 18 et 22 *De regularibus*. »

Sed hodie, dicta professio tacita, saltem pro viris, sublata est vi decreti S. C. super statu regular. diei 12 jun. 1858, ut supra vidimus, Adnot. I hujusce vol. In præfato decreto legitur art. XI: « Ad valide emittenda vota solemnium post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino aorogata est. »

## ADNOTATIO VIII.

*Lib. III, Decretal. Tit. XXXI, § VI, n. 183; pag. 45.*

## DE PROFESSIONE ANTICIPATA NOVITIARUM ORDINIS S. DOMINICI.

« Nota quod quamvis ex indulto S. Pii V, prout habetur in ejus const. *Summi sacerdotii*, 23 aug. 1570, novitiæ ordinis S. Dominici, in articulo mortis constitutæ emittere possint professionem ante expletum annum probationis, id tantum eis suffragatur quoad consecutionem indulgentiarum et aliarum gratiarum quas moniales vere professæ consequuntur, ita ut, si convalescerent, non censerentur religioni alligatæ, nisi, transacto probationis anno, iterum profiterentur, Fagnan., loc. cit. n. 33..... quod etiam magis confirmari potest ex mente dictæ Congr. quæ in *Carpentoren.* 14 junii 1641, lib. XVII, pag. 55, declaravit non censerî professas ad hoc ut monasterium ex eorum persona consequatur dotem vel hæreditatem. (Giralduus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 530.) »

Cf. Benedictum XIV, *De synodo diocæs.* lib. XIII, cap. XII, n. 6, ubi plura ad hanc materiam spectantia.

## ADNOTATIO IX.

*Lib. III, Decretal. Tit. XXXI, § VI, n. 185; pag. 46.*

## DE EXAMINE PUELLARUM AD PROFESSIONEM ADMITTENDARUM, ET DE COGENTIBUS INGREDI MONASTERIUM.

« Crespinus, in *Methodo visitationis* ab episcopo faciendæ, præscribit ritus servandos pro exploratione voluntatis novitiæ professoræ, inter quos est

## ADNOTATIO X.

*Lib. III, Decretal. Tit. XXXI, § VII, n. 204; pag. 50.*

## DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM ADVERSUS PROFESSIONEM RELIGIOSAM.

Cf. Adnotationem VII supra, ac in primis constitutionem Benedicti XIV, 4 martii 1748, *Si datam*, in qua statuitur:

« I. Quod superior regularis, detecto aliquo impedimento, ante professionem a religioso occultato, de quo prius interrogatus fuerit, etiam ipso non reclamante, procedere possit in causa super nullitate professionis intra quinquennium in iudicium deducta, una cum ordinario loci.

« II. Quod quinquennium, cum agitur de nullitate professionis ob metum, computandum sit a die emisse professionis, non a die quo professus liberam reclamandi facultatem habere cepit.

« III. Quod causa nullitatis agi possit, etiam post elapsam quinquennium, dummodo a reclamante intra illud serio intentata fuerit, iudiciumque prosequi neglexerit aut nequiverit.

« IV. Quod iudices debeant esse ordinarii loci, etiam Romæ ac in ejus districtu, et actualis superior illius monasterii eo tempore quo causa in iudicium deducitur. Quoad moniales ordinario subjectas, iudex sit solus ipse ordinarius; quoad subjectas vero regularibus, superior regularis, cui universi monasterii regimen creditum est, una cum ordinario loci.

« V. Quod superior regularis, si iudicium assumere nolit aut nequeat, possit loco sui alium subrogare sive regularem, sive sæcularem ecclesiasticum juris canonici peritum; non tamen jus suum ordinario loci cedere ut solus procedat.

« VI. Quod si iudicia ordinarii et superioris discrepantia fuerint, causa ad Sedem apostolicam devoluta censeatur.

« VII. Quod itidem ad eandem Sedem privative spectet causa nullitatis professionis, ex quo hæc emissa fuerit extra cænobium pro novitiatu assignatum.

« VIII. Quod, sub pœna nullitatis processuum et sententiæ, non fundetur iudicium in extrajudicialibus attestacionibus, etiam juramento firmatis, quæ ad perpetuam dicuntur, sed instituat processus verus et judicialis, in quo et articuli exhibeantur ex parte reclamantis, et interrogatoria dentur ab eo qui stat pro validatione professionis, et testes tam super articulis, quam juxta data interrogatoria examinentur; qui tamen processus, juxta Trident. sess. XXV, cap. XIX, *de Regularibus*, nunquam instrui potest nisi constet reclamantem in religionis suæ claustris morari, et regularem habitum resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

« IX. Quod sub eadem nullitatis pœna citentur tam defensores monasterii, in quo reclamans vota suscepit, tum ipsius consanguinei, sive propinqui,

traditio breviarii, jubeturque novitia ut illud legat. Nunc oritur dubium an et id præcipere possit, cum agitur de professura in monasterio monialium regularibus subjectarum. Ego negative sentirem ea ductus ratione quia, cum hujusmodi lectio ideo præciperetur ut fieri posset experimentum de illius idoneitate, hæc inspectio de jure pertinet ad illum superiorem a quo novitia admittenda est tam ad habitum quam ad professionem, et sic ad superiorem regularem et non ad episcopum, cui in hoc casu exploratio duntaxat voluntatis, non idoneitatis, a Tridentino commissa est. (Giralduus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 516.) »

Quoad cogentes puellam ingredi monasterium ad effectum, non ut monialis fiat, sed custodiæ causa, quidam doctores existimarunt caput XVIII, sess. XXV, conc. Trid. *De regularibus*, contra illos procedere: « Verum, inquit Giralduus, hæc opinio videtur omni prorsus esitata fundamento, imo opposita probitati morum ac doctrinæ Patrum, et per consequens fini intento ab ipsomet Tridentino. Cum enim experientia compertum sit dari quandoque puellas nobiles, in quibus adeo fervet libidinis æstus ut, ad hunc rite cohibendum usque ad convenientes nuptias, aliud efficax simul ac decens remedium non suppetat quam monasterii clausura, est idem asserere has per Trid. non posse cogi ad hujusmodi ingressum, ac dicere per Trid. rursus iisdem ablatum unicum efficax decensque remedium, frænande a sui libertatis ipsarum accommodatum, quod est manifeste rationi dissonum, a beato Hieronymo inter alios Patres in epist. ad Lætiam iis verbis reprobatur: « Puellæ et pediseque a secularibus consortis arceantur, ne quod male didicerint pejus doceant; » ac a mente PP. Trid. conc. prorsus alienum. Cum enim in casu, si non fiat coactio, majus malum eveniat vel saltem immineat, finis concilii prohibentis hujusmodi coactionem cessat, non solum adequate sed etiam contrarie, proindeque lex in hujusmodi casibus vim amittit obligandi utpote pernicioza, prout communissime docent theologi cum S. Thoma, 1, 2, quæst. 103, art. IV, ad 3. Accedit ipsomet Trident. eodem in capite cautum voluisse honestati mulierum, ideoque casus excepisse in jure expressos inter quos recensetur quando mulier est adhuc juvenis et dat in sæculo incontinentiæ suspensionem etc... (*Exposit. jur. Pontif. ibid.*) »

Giralduus addit: « Excommunicationem a Trident. inflictam contra cogentes ingredi monasterium non incurri per attentatum seu conatum, si effectus non sit subsecutus; et controverti a doctoribus an hæc eadem excommunicatio extendatur ad eos qui parem coactionem in viros exercent, tam oro coactivo quam pro impeditivo ingressu, aliis affirmantibus, aliis negantibus, quorum opiniones Ludovicus de Amæno vocat æque probabiles. Sed cum simus in odiosis, et de casu ad casum in pœnalibus, ex vulgatis, non fiat illatio, negativam potius tuto crederem, inquit Giralduus, sustineri posse. (*Ibid.*) »

sive alii quibus sua bona donavit aut cessit, ceterique omnes quorum interest professionem sustineri: in primis autem ii, si superstites fuerint, qui indicati erunt, tam auctores aut complices metus eidem reclamanti incussi ut votis invitatus se obstringeret.

» X. Quod a locorum ordinariis deputetur defensor professionum ea lege, eo modo quo ex altera ejusdem Pontificis const. *Dei miseratione*, 23 nov. 1741, deputandus est defensor pro validitate matrimonii; cui honorarium expensæque occurrentes exsolvendæ erunt ab illis quibus professus bona sua renuntiavit, vel a religione, si ii non existant aut nihil a professore renuntiatum fuerit; vel, si ordo regularis nihil possideat, ex muletis illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, ut in citata const. *De defensore matrimonii*.

» XI. Quod, post sententiam latam a superiore regulari et ordinario loci pro validitate professionis, causa finita intelligatur, si professus nullam interposuerit appellacionem: si vero interposuerit, serventur præscripta in dicta constitutione.

» XII. Quod, nonnisi post duas sententias conformes nullitati professionis, professus discedere possit a religione vel habitum dimittere, sub pœnis contra apostatas latis.

» XIII. Quod iudices, in secunda aut ulteriori instantia, esse debeant ii ad quos de jure aliæ omnes causæ ecclesiasticæ, post sententiam ordinarii, in gradu appellacionis devolvuntur, una cum superior regulari, non illius monasterii in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii ejusdem ordinis in eorum civitate aut diœcesi existentis; vel, eo non extante, cum superiore vicinioris monasterii ejusdem ordinis, seu persona ab eodem superiore deputanda; qui tamen superior ad ferendam sententiam non admittitur, si causa, in secunda aut ulteriori instantia, ad S. Congreg. aut Rotam devolvatur.

» XIV. Quod si iudicium nullitatis institutum fuerit post elapsam quinquennium, ad Sanctam Sedem recurrendum omnino sit a locorum ordinariis et superiore regulari pro facultate restitutionis in integrum adversus illius lapsum.

» XV. Quod, sub pœna nullitatis actorum, etiam in causis discutiendis super restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, ex commissione regularibus superioribus ac locorum ordinariis a S. Sede directa, intervenire debeat, tam in prima quam in ulterioribus dubii propositionibus, defensor professionis.

» XVI. Quod idem servetur tam a cardinalium congregationibus quam a Rotæ auditorio, sive quacumque congregatione specialiter deputata. Et defensor deputetur ab eo qui est caput tribunalis, expensis eorum de quibus supra.

» XVII. Quod ad fruendum beneficio restitutionis in integrum præcedere debeant duæ conformes favorabiles resolutiones, sub pœnis pariter contra apostatas latis, si reclamans post primam e claus-

tris migrare, multoque magis si habitum dimittere præsumpserit.

Ita Giralduus, dictæ constitut. *Si datam analysis præbens*, *Exposit. jur. pontif.* part. II, sect. 473.

Denique Cf. *Revue des sciences ecclésiast.* tom. IV, pag. 496, casum singularem restitutionis in integrum et nullitatis professionis, anno 1861 a S. C. Conc. annuente Pontifice resolutum, in gratiam regularis cujusdam qui, anno 1833, vota solemnia emiserat, et anno 1857 tantum ad Sedem apostolicam preces obtulerat adversus validitatem suæ professionis. Præter violentiam sibi factam ex parte familiæ, orator narrabat annum sui novitiatus non fuisse completum ex defectu scilicet quinque dierum, quem defectum quinque testes ore unanmi affirmabant exstulisse.

## ADNOTATIO X (bis).

*Lib. III, Decretal. Tit. XXXI, § VIII, n. 259; pag. 61.*

## DE PROFESSIS EJICIENDIS ET EJECTIS

Auctor noster, in paragrapho octavo de potestate ejiciendi regulares incorrigibiles, meminit tantum decreti S. C. contra apostatas et ejectos, jussu Urbani VIII, die 21 sept. 1624 edito, quod incipit *Sacra Congregatio*, et de moderatione hujusmodi decreti, virtute alterius, die 24 julii 1694 editi, et ab Innocentio XII approbati, nec ullum verbum facit. Porro sic se habet decretum Innocentii:

« I. Quod, firmis ac in suo robore semper manentibus prædictis decretis de apostatis, etiam secundum eam partem ubi agitur de ejectis et ejiciendis, tanquam SS. canonibus et communiori sanctorum Patrum menti conformibus, quoad ejectos eadem serventur quæ in alio simili decreto, hac præsentis die emanato, de apostatis et fugitivis statuta sunt et indulta, quodque, ad præscriptam legem san. mem. Gregorii IX, in cap. fin. *De regularibus*, annuatim fugitivi requirantur, et respective cogantur ad claustra reverti.

» II. Quod annus integer qui in prædictis decretis anni 1624 præscribitur in pœnitentia et jejuniis ad ejiciendos incorrigibiles, ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur et restringatur.

» III. Quod facultas generalibus ordinum de consilio et assensu sex ex gravioribus religiosis, in singulis capitulis et congregationibus ad causas ejiciendorum eligendis, attributa, extendatur etiam ad quoscumque provinciales qui, electis pariter in congregationibus provincialibus sex gravibus et propria provincia religiosi, a generali confirmandis, de illorum consilio et assensu causas hujusmodi cognoscant et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ provinciæ et ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione generalis sufficiant, salva

semper S. Sedis et S. C. concilii, in casu recursus et appellacionis, auctoritate.

» IV. Quod in posterum processus conficiantur juxta regulas, constitutiones et ordinationes et stylum cujusque ordinis et religionis, donec aliter fuerit a S. C. provisum.

» V. Sub interminatione divini iudicii, necnon privationis vocis activæ et passivæ, ac dignitatum et officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in posterum obtinenda, quibuscumque prædictorum ordinum superioribus districte præcipit et mandat omnia et singula decreta san. mem. Clementis VIII, registrata post decretum san. mem. Urbani VIII de apostatis et ejectis, *Regulares, Sanctissimus* et *Nullus*, una cum aliis subsequentibus decretis, provisionibus, ordinationibus et respectivo moderationibus, bis in anno legi, eadem ad unguem servari, pœnas in eisdem contentas innovari et capitibus ordinum intimari.

Nota I. cum Giraldo, quod cum in Urbani decreto statuatur ut nemo vere incorrigibilis censeatur, nisi, præter carcerationem a se præscriptam, concurrant ea omnia quæ ad hoc, ex juris communis dispositione requiruntur. Hæc ex dicto jure concurrere debent:

« 1. Ut commiserit aliquod grave delictum, talibus circumstantiis qualificatum ut in religionis decus, populi scandalum, et religiosorum contagium cedat, puta notabilis proprietatis, furtum, fornicatio, sodalitas, apostasia... 2. Ut de delicto legitime constiterit vel per ipsius confessionem aut per testium probationes, utque pluries deliquerit, et trina monitione præmissa, punitus fuerit pro singulis excessibus... ideoque, præter dictam trinam monitionem, ad probandam incorrigibilitatem, semestrem carcerationem præcedere debet trina delictorum ejusdem vel diversi generis juridica punitio. Cf. Matthæucium *Official. cur.* cap. xxv, nn. 19, 20, 27, 28.

» Not. II. Quod cum incorrigibilis probandus sit in carcere per sex menses in jejuniis et pœnitentia, putat Thesaurus, *De pœnis, vº Religiosorum ejectio*, cap. XII, non requiri ut hoc jejunium toto semestri perduret, sed sufficere si frequenter seu multoties illud peragat.

» Not. III. cum Benedicto XIV, *De syn. diœc.* lib. XIII, cap. xi, n. 31, quod si ejectus appellaverit ab ejectionis sententia, etiam intra terminum a lege præfinitum, non potest extra carcerem sua jura experiri, sed debet se in carcere formali suæ religionis constituere.

» Not. IV. Quod, in casu paritatis votorum sex patrum conjudicium, nequit definitive procedi ad sententiam expulsionis, ex decreto S. C. Conc. statuente « sententiam ejectionis a religione fieri » debere saltem de voto majoris partis sex patrum electorum. » Neque itidem ad eam deveniri potest, si intra sex menses carcerationis ejiciendus e carcere aufugiat, quia continua semestris carceratio, ex allato Innocentii decreto, est de substantia probationis expulsionis, qua non servata, corrui-

actus; in quo casu recurrendum ad S. C. pro declaratione seu potius sanatione. Matthæucci, loc. cit., n. 21.

» Not. V. cum prædicto Thesaurio, loc. cit. honorum administrationem, ab expulso post ejectionem acquisitorum, ad ipsum pertinere, donec manet expulsus et non intrat aliam religionem post vero ejus mortem, ea de jure communi spectare ad episcopum ut applicet in bonum diœcesis. Sed hodie spectant ad cameram apostolicam...

» Not. VI. Legitime ejectionem teneri sub mortali se emendare et curare ut denuo a religione recipiatur, sicuti et servare tria essentialia vota religionis. Votum tamen paupertatis suspenditur quoad executionem, juxta capacitatem proprii status. Quoad votum vero obedientiæ, loco superioris regularis subintrat ordinarius cujus jurisdictioni, post notificationem expulsionis ipsi faciendam a dicto superiore, subesse debet, atque incedere in habitu et tonsura, ex decreto Cong. Conc. § IV sub Urbano VIII anno 1624. Tenetur etiam sub mortali servare alia vota vel simplicia vel solemnia annexa suæ religioni quæ compatiuntur cum ejus statu. Ita doctores communiter cum S. Antonino, *part. III, tit. XVI, cap. v, § 8.*

» Not. VII. Ex cit. decreto § X suspensum esse ab exercitio ordinum, donec ad religionem redierit, sublata locorum ordinariis facultate suspensionem dispensandi vel moderandi...

» Not. VIII. Eundem legitime expulsum non habere actionem petendi a religione alimenta, ut probat Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, lib. XIII, cap. xi, n. 25, licet sit Societatis Jesu, et promotus fuerit post emissam vota simplicia ad sacros etiam presbyteratus ordines, ex const. Benedicti XIII *Injuncti* 14 junii 1728. Qui tamen, idest ejectus a Societate, non redditur inhabilis, quemadmodum redduntur alii ejecti, ad ecclesiastica munia obeunda et beneficia assequenda, ex decr. S. C. conc. 11 febr. 1662, relato ab eodem Benedicto XIV, loc. cit., n. 21. » (*Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 643.)

## ADNOTATIO XI.

*Lib. III, Decretal. Tit. XXXI, § IX, n. 277; pag. 65.*

## DE TRANSEUNTIBUS AD ALIAM RELIGIONEM.

In decretali *Viam ambitiosæ*, hoc. tit. in extrav. comm. cap. 1, decernitur: « Ne mendicantes ad aliam religionem possint transire quam Carthusianorum, sub pœna excommunicationis lata tam in recipientes quam in recedentes. » « Bene docet Lessius, lib. II, cap. XLI, 2. 104, eam extravagantem quoad hoc non esse receptam, aut intelligi de transeuntibus sine legitima causa, ut colligitur ex illis verbis quæ leguntur in dicta extrav. « Fucatis coloribus et ut liberius degant et beneficia eccle-